



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1276 Usque Ad Annum 1312

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1766**

**VD18 90118251**

§. 50. Seditio Viterbiensium.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67012](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-67012)

semper quatuor elementa & totidem qua- Sæcul. XIII.  
litates, calorem, frigus, siccitatemque ac A.C. 1280.  
humiditatem: & saepe pro principiis po-  
nit propositiones nec ex se ipsis manife-  
stas, nec aliunde probatas. Loquens <sup>to. 2. l. 2. de</sup>  
de cœlo exiguam astronomiæ notitiam <sup>cœlo trax. 3.</sup>  
ostendit: pro re certa sumit vim side- <sup>c. 5.</sup>  
rum influentem in corpora inferiora: & <sup>to. 4. p. 347.</sup>  
de astrologia judiciaria veluti vera de <sup>Ibid. 4. p.</sup>  
<sup>218. B.</sup> scientia differit, nec illam vituperat; im-  
mo alibi politiæ jungit. Dum de meteo-  
ris meminit, exilem suam geographiæ  
cognitionem prodit: & alibi Byzantium  
haud ægrius quam Tarentum in Italia  
collocat. De fossilibus mentionem fa-  
ciens, gemmis vires magneticis similes  
attribuit, experimentis, quæ non probat,  
innixus: & postea illarum virium cau-  
fas indagat. Etymologias saepe absur-  
das tradit, explicare cupiens vocabula  
linguæ græcæ, quam ignorat: id quod  
ei commune est cum plerisque illius æ-  
tatis Doctoribus.

### §. L.

#### Seditio Viterbiensem.

Sedes Apostolica sex pæne mensibus  
vacabat ob discordiam Cardinalium Ricord. Ma-  
Viterbiji præsentium. Rex Siciliæ Ca- <sup>lesp. c. 207.</sup>  
rolus eodem se contulit, ut primum de Ni- <sup>Rayn. 1281.</sup>  
colai III morte nuncium accepit pergra-  
H 3 tum <sup>n. 1. 2.</sup>

Sæcul. XIII. tum sibi : quippe hunc Papam semper  
A.C. 1280.

contrarium sibi expertus volebat facere,  
ut faventior ipsi eligeretur. Cardinales  
abibant duas in factiones : Ursinorum  
ultimi Papæ cognatorum altera, altera  
Regis Caroli erat sub duce Richardo An-  
nibaldo, cuius familia Romæ plurimum  
poterat. Richardus Viterbii præfectu-  
ram Urso de Ursinis Papæ Nicolai nepo-  
ti ademerat. Idcirco duo hujus pro-  
sapiæ Cardinales Matthæus Ruber &  
Jordanus electionem Papæ impediabant,  
donec Urso dignitas sua esset reddita.  
At Richardus a Rege Carolo suffultus  
curavit Viterbii populum ad tumultum  
concitari : pulsatur æs campanum ; ca-  
piuntur armæ ; curritur ad Episcopi pa-  
latium, quo Cardinales electionis causa  
convenerant. Viterbienses inter clamo-  
res magnos irruunt, duos Ursinos Cardi-  
nales Diaconos, Matthæum de S. Maria  
in Porticu, & Jordanum de S. Eustachio  
per vim abstrahunt, injuriis affectos cui-  
dam ejusdem palati cubiculo includunt,  
hujus fenestras ac fores obstruunt. Car-  
dinales reliquos huic violentiæ obsten-  
tes duriter repellunt. Jordano postea  
certis conditionibus dimisso, Matthæum  
diutissime detentum per aliquot dies pa-  
ne tantum & aqua aluere.

*Platina in  
Nicol.*

§. LI.